

Dissertatio inauguralis medica, de pediluviorum usu medico ... / [Johann Christian Eisenberg].

Contributors

Eisenberg, Johann Christian.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hendelii, [1721]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cj7v4meq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, 13⁴
DE

PEDILUVIORUM USU MEDICO.

Quam,

DEO PROPITIO,

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

P R Æ S I D E

DN. D. MICHAELE ALBERTI

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO A
LICO, MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PRO-
FESSORE PUBLICO ORDINARIO, ACADEM. CÆ-
SAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,

PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO

CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO LICENTIA

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS, INSIGNIBUS
AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLENNI OBTINENDIS,

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS.

D. DECEMBR. MDCCXXI.

PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET,

JOHANNES CHRISTIANUS Eisenberg,

STENDALIENSIS PALÆO-MARCHICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOANNIS CHRISTIANI HENDELII, Acad. Typogr.



PROOEMIUM.



X eminentioribus, dignioribus & maioribus charitatis officiis, quibus homines sinceritatem & dexteritatem suam comprobant, merito præferri & recenseri debet illud studium, quo unus alterius salutem animæ ac corporis promovere & confirmare adjuvat & allaborat: dum enim quoad utrumque principium animam æque ac corpus varia pericula & damna imminēt, ita pro iisdem avertendis omnis cura & sollicitudo adhiberi debet, quare *Cicero* olim *pro Marcello* professus est: *quod homines nulla re propius ad Deos accedant, quam salutem hominibus dando*: dum enim Benignissimus Deus author est veræ salutis, omniumque salutem desiderat atque urget, ita non modo ille, qui vera salute gaudet Deo est acceptus, sed & qui deinde alterius salutem primario quoad animam, deinde quoad corpus promovet, Deo gratus erit: & hoc studi.

studium salutiferum omni animi puritate & sinceritate exercendum est, ne sterilibus & otiosis conatibus Deum & proximum magis offendamus & salutem tam nostram, quam aliorum impediamus & destruamus: inter illas salutiferas artes quæ corpori & animo simul subveniunt, merito Medicina recensenda est, quæ multis modis, variisque adminiculis opem ferre solet, ut propterea Deo eximiæ laudes referendæ sint, quod saluti humanæ tanta naturalium subjectorum supellectile prospexerit: Ast deplorandus omnino est hominum plurimorum status, quod salutem hanc minus æstiment & pro arbitrio vitæ laxitati & luxurie indulgeant, unde neque illæ scientiæ & artes pro dignitate semper æstimantur & propagantur, quæ ad veram salutem viam monstrant: quare *Crates Thebanus* brevibus commemorat, quo munere vulgo varia & honesta & inhonesta & bona & mala & æqua & iniqua officia in corrupto mundo compensentur & agnoscantur, quando dicit: *ponito Coquo minas decem: Medico drachmam: adulatori talenta quinque: Consiliario fenum: scorto talentum: Philosopho triobolum: tantum est discrimen inter illos, qui salutem conservant & enervant & inter utrorumque munera: Sed licet hæc sit malefida illa honestorum officiorum remuneratio, tamen minime æquus Medicus torpescere debet, quin rectius uno eodemque tenore & candore illis subsidiis utatur, quæ sanitati conservandæ & convenientia & efficacia sunt: interim in foro medico omnino arte i. e. rationali & prudenti rerum & circumstantiarum*

rum ad hominis salutem spectantium, deliberatione, pensitatione, comparatione, ordinatione & applicatione opus est, ne illa subjecta, quæ sub congruo usu corporis salutem promovere possunt, vicissim incongrue usurpata, vitam ac sanitatem animalem corrumpant: hinc pervulgatus est ille versiculus in foro Medico: *Balnea, Vina, Venus, corrumpunt corpora nostra; conservant eadem Balnea, Vina, Venus:* & quamvis multa media & subsidia occurrant, quibus cum utilitas & damnum hominis promoveri potest, tamen hoc loco pauca tantum de Balneis differere lubet; hæc quantæ existimationis inter veteres Medicos & Historicos atque Poetas fuerint, testantur *Galenus, Corn. Celsus, Scribonius Largus, Antonius Musa, Herodotus, Asclepiades, Plinius, Vitruvius, Strabo, Livius, Horatius* aliique multi: ita inter alios *Suidas* dicit: *Balneum via est ad delicias, & seorsim Balneorum utilitates describit Clemens Alexandrinus lib.3. Pedagog. c.9. dicens: Balneorum quatuor sunt causa, vel enim causa munditiei, vel caloris, vel sanitatis, vel postremo voluptatis:* qui contra *Senecam* de Balneis differentem audit, longe alia prædicata percipit, ita in *Ep. 51. quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis? in qua siccus vapor corpora exhausturus includitur: omnis sudor per laborem exeat: & Ep. 108. in omnem vitam balneum fugimus: decoquere corpus atque exinannire sudoribus inutile simul delicatumque credimus.* Haud quidem instituti nostri ratio fert, quo Balneorum utilitatem & damnum exponamus, id saltem hoc loco inculcamus, quod simplicia etiam adminicula di-

verſimode uſurpata diverſos & contrarios effectus edere ſoleant; unde neceſſe erit circa ſimpliciſſimorum etiam mediorum uſum artiſcioſum proceſſum ſeligere & concurrentes circumſtantias cum ratione & prudentia penſitare atque comparare: quid enim aqua ſimplicius eſt, quæ nihilominus artiſcis manu indiget, ſi ſanitatem hominis promovere debet: hæc enim interne æque ac externe minus circumſpectè uſurpata nocet, prudenter vero adhibita proſicit: & quid communius eſt, quam in Balneorum forma, quod externum uſum attinet, aquam ordinare, quæ quo ſimpliciora, eo magis naturæ humanæ convenientia ſunt, quo plus viciffim ſcrupuloſi artiſcii in Balneorum compoſitione adhibetur, eo minus ſalubritatis & utilitatis expectandum eſt; quare non omnes aquæ hominis utilitati in Balneorum forma inſerviunt: & licet de aquis ſubterraneis, tanquam de re nova & inſolita paſſim eximiæ laudes circumferantur, tamen in ejusmodi laudibus non raro ſpiſſa præjudicia deprehenduntur, quæ propterea à reliquis ſanis, maturis & ingenuis judiciis merito ſeparanda ſunt: interim congruus certorum balneorum uſus, eximias virtutes affert, ut ea propter ex nonnullorum mente *Verulamius* referat, quod Balnea ad Longævitatē conferre debeant: & quemadmodum in Schola Medica Balnea dividuntur in univerſalia, ſemicupia, inſeſſus, capitiluvia, embrocationes & pediluvia, ita differentibus ejusmodi aquæ calidæ externis applicationibus ad differentes corporis regiones, diverſa utilitas adſcribitur:

bitur: & talis Balneorum applicatio multis nationibus ad usus medicos familiaris existit: illud tantum à nonnullis male applicatur & dijudicatur, quando veteres scriptores ad quorundam morborum curationem frigidam suam aquam commendarunt, ubi frivole minus attenti imitatores, veterumque perversi interpretes, nostram frigidam aquam ad eosdem usus adhibere solent, cum contra probe reminisci & perpendere debeant, quod illi scriptores, qui frigidam aquam laudant, in climatibus calidioribus medicam praxin exercuerint, in quibus aqua frigida non alia, quam tepida existit: sicut nobis miraculosa videri posset illa Æthiopum cura Variolarum, quando patientes in ipso febrili fervore in proximum profluentem dimittuntur, in quo in quartum diem repositi manent, qualis cura describitur in *A. N. C. dec. 1. an. 8. obs. 68. an. 10. obs. 194. p. 461.* quo spectant historiæ de *aquæ frigida usu per lavationem inter Indos in dysenteria & extra febrium paroxysmum, loco ultimo citato n. 20. p. 460. in febre tertiana, dec. 1. an. 3. obs. 211.* uti perinde insolita & miraculosa videri possit historia de *potu salutari frigida aquæ in variolis*, quam recenset *Bartholinus Histor. anatom. Cent. 3. obs. 89.* & quemadmodum nonnullis dubium suboriri potest, quod simplex aqua tanquam subjectum inodorum & insulsum externo suo usu medicam utilitatem afferre debeat, tamen non paucæ & infirmæ rationes ac experientiæ constant, quibus contrarium demonstrari potest: ast quantum commercium sit inter aquam, quæ ab extra corpus nostrum ambit & afficit, cum inter-

internis partium tam fluidarum quam solidarum nec non motuum ad vitam animalem spectantium alterationibus, varia phænomena testantur: inter illa vero quæ magis admiranda haberi & videri possent, merito hoc loco producimus illam observationem, qua nonnulli authores credunt, quod interdum in Diabete ex aere aquositas colligatur & ad proximam copiosam diuresin coacervetur, cujus circumstantiæ mentionem fecerunt: *Schenckius de Diabete, Guilielmus Adolphus de Urinæ inspectione, Cardanus de rerum varietate lib. 8. c. 44. & cap. de incontinent. urinæ*: siquidem magis communes sunt animadversiones quibus efficacia aëris humidi ad relaxandas partes & convocandos catarrhos explicatur & comprobatur: si itaque tanta est vis humiditatis in corpus, quando subtilissimæ moleculæ aquæ corpus nostrum attingunt, quid non efficiat copiosior aquæ accessus ad nostrum corpus, tanto magis si immediate hoc ab illa contingitur & alteratur: tanta enim est receptivitas aquæ ad & intra corpus nostrum animale, ut, cum plurima pars nostri corporis ex aquositate constet, perpetuus affluxus & effluxus aquæ cum reliquis connexis necessariis materiis ad vitæ humanæ durationem pertineat: unde mirum non esse potest, cur tantæ alterationes quotidianæ ab aqua corpori nostro accidant: neque quidem id ipsum in ordinario vitæ humanæ statu contingit, dum sine fluido aqueo homines suam durationem habere haud facile possunt, sed in hoc requisito ars imitatur naturam; hæc enim dum simplicia & lenius efficacia magis perfert, quam potentia & speciosa, ita illa, videlicet ars, cum aqua,

tan-

tanquam simplici medio non exiguas & contemnendas corpori utilitates conciliat: & uti hactenus nobis sermo fuit de usu aquæ quoad externam applicationem, ita hæc disquisitio sane admodum ampla est in Medicina Practica: non enim, uti in præcedentibus præoccupavimus, sermo nobis est Balneorum utiles effectus in genere recensere; sed hæc disquisitio secundum specialissimas suas animadversiones peculiare promeretur explanationes: nobis hoc loco non sublimia petere & à capite exordiri placet, sed instituto nostro magis conveniet circa calcem subsistere & ad pedes nos convertere, animadvertentes quid aquæ commercium cum pedibus inferat, & quomodo e pedibus quoad causalem suam deductionem hoc commercium & hæc utilitas in alias corporis regiones derivari debeat queatque: Agamus itaque præsentī conatu & Specimine Inaugurali, quo nostris debitis & officiis satisfaciamus; selegimus propterea practicam quandam disquisitionem, in schola Medica non vanam, attamen apprime utilem & exponemus brevi, atque fundamentali commendatione **USUM MEDICUM PEDILUVIORUM**: ante omnia vero ad hoc nostrum propositum **DEUM** Benignissimum convocamus & piis precibus imploramus, quo hocce conatus benedictione sua prosequatur.

§. I.

QUamvis levis, *indignæ ac exiguæ* notæ tractatio illa videri posset, qua in schola medica *Balneorum* doctrina commendatur, dum *communis* horum usus nihil *splendoris & artificiosi* honoris secum fert, quæ potius lippis atque tonforibus cognita esse æstimatur, ut *pervacaneum* videri queat, *pervulgatam* talem & vilioris fortis hominibus magis commendandam medicinam speciali proposito exponere velle, tamen *multa* è *simplicissimis* remediorum generibus plurimam merentur *attentionem & apprehensionem*, quoniam naturæ *humanæ* magis conveniunt, *salutares* effectus *leniori* processu, *motu & gradu* promovent, adeoque sanitatem plus veram & *sinceram* restitunt: *eadem* laus merito prædicari potest de *Pediluviiis*, quorum *usum* *Medicum* hoc labore exponemus, siquidem hoc loco magis *simplicem* Pediluviorum statum annotare, quam splendidam & valde *artificiosam* illorum præparationem commendare lubet, interim *brevibus* indicabimus, an & quomodo interdum Pediluvia cum *aliis medicamentosis* speciebus mixta in foro *medico* adhibeantur: In *titulo* itaque præsentis tractationis nulla occurrit hæsitatio, quemadmodum in Pediluviorum *nominali* explicatione multum versari, *inutilis* labor esset: sunt itaque *Pediluvia*, *Balnea Pedum*, quæ *multis* corporis humani *morbidis* afflictionibus dissipandis & *avertendis* adhibentur: dicuntur etiam *Pedilavia*, sive *Lavamenta Pedum*, *lotiones Pedum*, quæ licet *proximius* pedes afficiunt & *alterant*, tamen multis *aliis*, quam pedum affectibus opponuntur, imo *satis sæpe* in *pedum* morbidis calamitatibus magis *nocent*; quare inter alios usus hæc Pediluvia à nonnullis practicis ad *Pedum nimium sudorem* *cobibendum* commendata leguntur, quando cum *adstringentibus* mixta adhibentur, quæ

quæ vero *minus tuto* applicantur; sicut ad *foetorem pedum* corrigendum nonnunquam ordinantur pediluvia cum *suaveolentibus* speciebus combinata, videlicet cum radicibus caryophyllatæ, ir. flor. mei. valerian. cyper. rot. aristoloch. rotund. gentian. rubr. herb. rorismar. salviæ, serpill. organ. major. flor. spic. lavend. chamom. rosar. balauft. fol. & bacc. laur. quo quidam scorias reguli antimon. & sulphur recipiunt; qualia pediluvia vero vel foetorem *ex fundamento* non corrigunt, vel si conjunctum sudorem *supprimunt*, *sinistre* operantur; quemadmodum *attenti* practici magna cura dissuadent, ne ejusmodi singulares, *particulares & habituales* sudores *obruantur* & cohibeantur: *conf. D. D. Præsidis Praxis Extemporanea cap. 29.* exinde significamus, quod Pediluviorum usus longe *diffusior & nobilior* existat, siquidem pedes in comparatione ad *alias* regiones, *ignobilia* membra constituunt, quo veteres etiam medici attenderunt, quando mitiores *minusve periculosos* illos æstimarunt affectus, qui à *capite & corde remotiores* existunt; interim etiam nonnulli evidentem *consensum* inter *caput & pedes* observarunt & annotarunt, cujus rei mentionem fecerunt *Sim. Pauli digress. de febribus malignis & Bonetus Mercur. Compitalitio Lib. 3. p. 75.* de quo consensu *Illust. D. D. Stablius in diss. de Morb. ætatum fundam. cap. 5.* dicit: *attendenda hic est maxime illa compassio veluti, seu reciproca conspiratio pedum cum capite: quæ licet vulgo parum fere attendatur, notabilissime tamen percipi solet in usu Pediluviorum ad effectus dolorificos capitis;* uti passim tales morborum consensus in diversis regionibus corporis annotavit *D. D. Præses in Diss. de Morborum consensu;* quo spectant illæ annotationes, quæ ex parte nostris animadversionibus respondent, quales occurrunt in *Elsholtzii Anthropometria & in A. N. C. dec. 1. an. 1. obs. 20.* neque quidem diffitemur, quod nonnullis *dubia* videri possit illa assertio, quasi Pediluvia *tantum* usum in Medicina Practica

habere queant, ut propterea hæc observatio peculiari commendatione digna censeretur, dum enim *pedes* à reliquo *nexu* cum *nobilioribus* corporis *visceribus* & *motibus* atque *effectibus* vitalibus admodum *remoti* videntur, ita *usus* Pediluviorum admodum *parcus* & *indignus* censeretur posset: ast cui *harmonia* *motuum* vitalium constat, neque *consensus* *crassi* corporis & *generis* *nervosi* nimium, quam decet, curæ cordique est, ille facile hanc *utilitatem* Pediluviorum, quod *latius* se extendat, agnoscet: qui vero in *crassa* indagatione & annotatione *simplicis* *aquæ*, quæ ad Pediluvia adhibetur & *ignobilium* pedum, ad quos illa applicantur, subsistit, ille facile in *utilitate* Pediluviorum *rite* perpendenda & commendanda cæcutit & *ambigit*: est vero subinde Pediluviorum *usus* *Medicus* adeo *distinctus*, ut in *illis* casibus, in quibus *Pediluvia* utilitatem suam exferant, *alia* *Balnea*, sive universalis, sive particularis, *talem* ac *tantum* fructum haud offerant: ex quo colligere licet, quod illorum *usus* *plane* *singularis* & *selectus* sit, qui propterea *singulari* *scrutinio* & commendatione dignus est: præter has *generales* animadversiones subinde circa titulum hujus dissertationis notamus, quod non tam simplicem usum, quam *utilitatem* Pediluviorum explicare susceperimus, quare de *usu* *medico* præsentem tractationem instituímus, quod idem nobis est, (uti *genuinus* sensus infert) ac *salutarem* & *vita* & *sanitati* humanæ convenientem applicationem Pediluviorum suscipiendam & commendandam indicaverimus & promiserimus: quoniam vero *non omnia* quæ *medica* dicuntur subsidia, *hoc nomine* & prædicato *digna* sunt, ita non defunt *tales* Pediluviorum *usus* in foro medico, qui non sunt *vere medici* i.e. *salutares*, hinc dignum etiam negotium atque laborem esse judicamus, quo *inutilem*, *frustraneum*, aut plane *sinistrum* usum horum Pediluviorum significemus, ab hoc *salutiferam* artem Medicam *repurgemus* & ad *verum*, *sincerrum* & *salubrem* usum illorum viam monstremus.

§. II.

Dum itaque Pediluviorum utilitatem pro *sanitate conservanda, confirmanda & commodis occasionibus restituenda* explicandam nobis sumimus, tunc hoc vile, quoad *externos* usus, remedium, diversis *salutaribus effectibus* promovendis satisfacit: ubi ex cognito vero *consensu motuum & apparatusum excretoriorum* facile quoad *causalem* respectum comprehendi potest, *quomodo* Pediluviorum usus non modo *superiorum* partium corporis, sed & *internis* plane afflictionibus *morbidis* opem aliquam afferat, ubi sane longe *minor & indignior* in talibus disquisitionibus est exploratio & applicatio *consensus partium*, qui in *plurimis* talibus casibus *evilescit*, uti ante jam notavimus: proinde haud suspicari convenit, ac Pediluviorum usus *recentioribus* inventis & *talibus experimentis* annumerandus sit, quæ è *speculativis* theorematibus nata & *imaginata* sunt, cum contra abunde constet, quam *solennis* ac *celebris* inter *veteres* fuerit usus *plurimarum* Balnei specierum: accedit & illa observatio *fida & indubia*, quod Pediluvia *simplici, sincero & frequenti* effectū utilitatem suam in *Medicina* comprobaverint, ut in illorum usu non tam *simplicitatem & vilitatem* remedii *exosam* reddere, quam *dignitatem* salutaris effectus annotare & commendare debeamus: præterea *modus* operandi, quo Pediluvia suam *efficaciam* testantur, ita *lenis* ac *securus* est, ut nihil *molesti, dolorifici & adversi* in illorum *congrua* applicatione intercedat, ac quidem in aliis *magis artificiosis* & majorem splendorem præ se ferentibus medicaminibus satis sæpe contingere solet, ut *eminentibus* qualitatibus, in *sensu* incidentibus, imo interdum suo effectū *molestiam* creare deprehendantur; quare Pediluvia plus *naturam grato* effectū *allevant*, quam *adverso* *stimulant* ac *urgent*, adeoque rectius *naturalibus*, quam *exquisite artificiosis* adminiculis accenseri merentur: interim *Medicina Practica* etiam *simplicissimis* talibus utitur subsidiis, quo

corporis humani integritatem promoveat: & *hujus indolis* remedia ut plurimum *aliis exactè artefactis & splendidis* anteferenda sunt, quoniam *sensui naturæ* magis accepta sunt, neque ulla *molesta & suspecta* vi operantur: interim passim à Medicis variæ *species* ad Pediluviorum compositionem commendantur, cum quibus proinde *magis artificiosa* Pediluvia parantur, cujusmodi species diversæ allegantur, ut *folia salicis, vitis, nymphæ* & quæ à Simone Pauli in *Quadripartito Botanico* passim commendantur, velut *Atriplex hortensis alba sive pallida virescens recens*, quam *febricitantibus* in pediluvio ad *æstum* refrænandum & *deliria* mitiganda, maxime vero ad *somnum* conciliandum celebrat: alibi *Melissam* laudat in Pediluvio ad *Menses* duceudos & *promovendos*: proinde de *Origano* refert, quod mulierculæ sibi ex eodem una cum *Artemisia rubra* & *mentha corymbifera* pediluvium ad *Mensium* promotionem directum parare sciant: alibi de *foliis arboris juglandis* recenset, quod *conservandæ* valetudinis causa in superiori & inferiori Germania ad pediluvia adhibeantur: alio loco de *capitibus Papaveris* vel nigri vel albi significat, quod in pediluvia injiciantur ad *somnum arte* conciliandum: *flores Nymphæe albæ* eximie alia occasione commendat, quod in pediluvio *fæminæ*, ferme *maniacæ*, quæ per undecim dies noctesque *insomnis* fuerat, in pediluvio adhibiti, placidum *somnum* conciliaverint, de quibus vero suum judicium *Celeberr. D. D. Stahlius* in *Disp. de V. Sne in Pede & aliis certis corporis regionibus* §. 27. communicat, quando dicit: *quamvis autem auctor plurimum tribuere appareat adhibitis speciebus herbis atque floribus & imprimis quidem Nymphææ: certissimum tamen est, quod primaria efficacia longe verius ipsi formulæ in genere, pediluvio inquam, qua tali, adscribi debuerit*: Sicut vero hætenus commemoratæ species passim secundum *vulgarem* Practicorum commendationem ad Pediluvia recipiuntur, ita variæ aliæ adhuc tam in *Medicina*

dicina *domestica*, quam *pressius artificiosa* ad ejusmodi Balnea Pedum usurpantur, è quibus vulgatissimæ sunt species videlicet *flores chamomille*: à nonnullis seliguntur *flores sambuci*, *rosarum*, *acaciæ*, ab aliis *fol. lauri*, *lactucæ*, ab aliquibus *sal commune*, *cineres fagi*, *herb. menthæ*, *semper vivi*, *Portulacæ*, *rorismarini* & pro diverso alterante scopo adhuc aliæ species; ex quibus id hoc loco iterata vice confirmare volumus, quod Pediluviorum usus in Medicina Practica *multiplex* sit: ast si de *vulgari* modo usurpandi Pediluvia judicium ferre licet, tunc plurimi artifices & reliqui homines majorem spem & fiduciam in *artificiosa additamenta*, quam in *simplicem* formulam ponunt, existimantes, quod præ *simplici aqua calida*, *aliæ species* majorem efficaciam medicam possidere debeant, cum sane specialem laborem postularet seorsim eximias & prærogantes qualitates medicas tam *Aquæ*, quam *Caloris* exponere: patet vero ex hæcenus dictis, quod in Pediluviis omnino differentia notatu digna occurrat, quoad *simplicem* & magis *artificiosam* illorum indolem, quam posteriorem minime *absolute rejicimus*, neque tamen *absolute probamus*, priorem vero *merito præferimus* & in multis casibus *præstantiorem* esse indicamus.

§. III.

Posteaquam nonnullas generales considerationes de Pediluviis præmisimus, nunc paulo *propius* ad nostrum scopum pertendimus, antea vero *simplici* & brevi enarratione Pediluviorum *statum* & *usum* indicabimus: & ita in antecedentibus diximus, quod Pediluvia sint *Balnea*, quæ *Pedibus* applicantur; adeoque *duo essentialia* requisita ad ejusmodi Lotiones Pedum pertinent, nimirum *Aqua* & *Calor*, in quam calidam aquam pedes immittuntur; observanda vero erit *temperies* ne aqua sit *nimis fervida*, alias *dolorifica* illa alteratio inde proveniens & nimia sanguinis *commotio*, nec non *impetuenta sanguinis affluxio*,

affluxio, ac pedum *enervatio* atque flaccescentia *salutares* speratos effectus invertunt & *sinistros* convocant; hinc exempla constant, quomodo ex *repetito fervidorum* Pediluviorum usu, pedum *tumores*, *tremores*, *stupores* & graves *enervationes* ortum traxerint; interdum *consequuntur* ominosæ & contumaces *congestiones* sanguinis, cum *ardoribus*, *doloribus* & alternantibus irregularibus *spasmodis* molestæ: neque etiam proficua sunt Pediluvia *frigida*, quæ potius variis incommodis conciliandis quadrant: quare feminæ satis multæ, maxime quidem *sensibiles*, cum lotionibus pedum *frigidis domesticis capitis* dolores, *menstruum turbas*, *cardialgias* aliaque pathemata sibi contrahunt: si vero ad usus *medicos* tepida aut frigida Pediluvia adhibentur, tunc perinde ut plurimum suspecti & *morbidi* effectus consequuntur: ita obtigit ante paucos annos D. D. Præsidi hic casus, ubi virgo frequentioribus *Cephalalgias* obnoxia, quæ sæpius Pediluvia cum multo *emolumento* adhibuit, aliquando eundem Pediluvii usum repetiit, sed cum sub hoc usu *somno* correpta fuerit, per tres horas pedes in hoc balneo detinuit, ut aqua tota *frigesacta* gravem deinde *alterationem* intulerit; inde enim non modo *enormes* capitis dolores consecuti sunt, sed sub contumaci *alvi obstructione*, tam *impetuosæ* & refractariæ *congestiones* sanguinis, cum *spasticis* commotionibus conjunctæ in hac persona, admodum plethorica, *brachia* ac *manus* insultarunt, ut *sphacelationis* metus appropinquaverit: ita in homine *hypochondriaco-splenetico* *frigidum* Pediluvium *delirium* melancholicum provocavit: neque quidem plura exempla desunt, quibus perniciosus usus Pediluviorum frigidorum demonstrari posset: subinde neque *tepidæ* Pediluvia proficua, quæ sicut *facile refrigescunt*, ita *sinistram* alterationem prompte & repente causantur: hinc justus caloris gradus ad hæc Balnea requiritur: Quod nunc *simplicem* Pediluviorum usum attinet, tunc in

aquam

aquam talem *calidam* pedes imittuntur, quo aqua ad *suras* pertingat: haud enim necesse est, *profundius* pedes in aquam immergere, alias non semper ille scopus obtinetur, qui intenditur, dum partes *superiores* una *intensius* incalescunt & *affluxui* humorum aptantur, qualis *generica* & *peripherica commotio* humorum non *singulis* illis affectibus quadrat, quibus alias *Pediluvia* *alia* ratione adhibita opem afferre potuissent: porro pedes non *nimis diu* detinendi sunt in *Pediluvio*, alias sanguis in aliquem *orgasum* ruit, undique per corpus *fortius* commovetur, *copiosior* sanguinis *affluxus* denuo in *superiorem* corporis regionem *dispergitur*, hinc commotiones & *translationes* sanguinis *particulares confusis* derivationibus & revulsionibus offenduntur, atque hac ratione *præcedentes* affectus magis *confunduntur* & *corrumpuntur*, quidquod per *irregulares* tales impulsiones & distractiones potius *exacerbantur*: ob id convenit per *quadrantem* horæ ambitum pedes in aqua illa calida relinquere: minime tamen licet in *loco* admodum *frigido* tale *Pediluvium* usurpare, ne partes *superiores* ut & reliqui *pedes* sensibili frigore offendantur adeoque perinde variis *confusionibus* motus progressivi sanguinis ansa præbeatur: ob id vicissim in *loco modeste calido* *Pediluviorum* usus suscipiendus est: *post usum* *pediluvii* pedes minime *denuo* sensibili *refrigerio* alterari, sed in *modesto calore* conservari debent, quoniam *superveniens* pedum *constrictio* perinde ad *novas motuum* confusiones contribuit & *anotericis* humorum restrictionibus ansam præbet, inde ut plurimum *præcedentes* affectus, in quorum *commodum* *pediluvium* adhibitum fuerat, magis *confunduntur* & *corrumpuntur*: hinc opportune & congrue horis *vespertinis* *Pediluvia* adhiberi possunt, quo postea corpus in lectum deferatur & pedes in *justo calore* conserventur: proinde interdum *matutinis* horis *Pediluvia* usurpentur, observato illo *regimine*, ne post illorum usum

C

tam

tam *pedes*, quam *reliquum corpus* sensibilius *refrigeretur*: Quod porro illa *artificia* concernit, quæ circa Pediluviorum compositionem observantur & applicantur, tunc illa *interdum* vel *nihil*, vel *parum*, vel *sinistre*, expectationibus satisfaciunt, aut si etiam *aliquam* utilitatem afferre videntur, tamen hæc *primario simplicibus* illis *elementis* in Pediluviis obviis nituntur: interim subjecta *potentius nervina & adstringentia* paulo *efficacius* in Pediluviis operantur: ob id nonnullæ *thermæ* valde *Sulphuratæ* ad Pedum lotiones usurpatæ, effectū *repellente* se distinguunt, ut cum periculo *œdemata*, *podagrici* dolores, *ulcera* diuturna & nonnulli tumores *reprimi* queant: ex quibus animadversionibus *prævia* delineatione & deliberatione quoad Pediluviorum utilitatem instituta concludimus, quod *simplior* illorum usus, omnino *prærogativam* quandam mereatur.

§. IV.

Sed transeundum nobis nunc est ad ipsam explicationem *specialem* usus *Medici* sive *Salutaris Pediluviorum*, qui in foro Medico multiplex est: exordiamur vero in eruendo usu Pediluviorum Medico, brevibus indicare, quantam *utilitatem* Pediluvia *ordinariis evacuationibus* adjuvandis, invitandis & revocandis afferant, quæ, si interdum cum præjudicio *sanitatis* *difficilius* succedunt, aut cum eminenti *damno* penitus *suppressæ* fuerunt, per illum *congruum* Pediluviorum usum denuo *restituuntur* & in *ordinem* congruum rediguntur: profunt itaque Pediluvia ad *alvinam* excretionem invitandam & promovendam, quæ quando *segnior*, *ficcior* aut plane *obstructa* fuit, sæpe *revocatur*: quare subjectis, quæ frequenti *alvi obstructione* laborant, proinde *affectibus*, in quibus tales *occlusiones* familiares sunt, velut *hypochondriacis*, *hystericis*, *spleneticis*, *anomaliis hæmorrhoidalibus*, *nephriticis*, *colicis*, *contumacibus cephalalgicis*, cum *flatulentia* stipatis, *melancholicis*,

cis, pediluvia proficua esse deprehenduntur, quæ dum in regionem corporis *inferiorem* aliqualem *laxitatem* transferunt, illius *aperturam* conciliant, & humorum *affluxum* in illam invitant, ita prægressam suspectam *stricturam*, *occlusionem* & *siccitatem* solvunt, adeoque per *connexionem motuum* alvum relaxant: quemadmodum itaque *fomenta* alia *humida* & *vaporosa* ad regiones corporis *inferiores* admissa *alvum reserant*, ita eodem effectû *Pediluvia* vim suam exferunt: & ita commode *Pediluvia* in *illis* casibus ad *alvi reserationem* ordinari possunt, in quibus non modo *apertio alvi deficiens*, restituenda est, sed ubi *minustuto interna* alvum *moventia* & *provocantia* adhiberi possunt, unde in *iliaca passione* in *inflammatione ventriculi*, in *inflammatione intestinorum*, in *doloribus calculosis*, in *hernia*, in *anomalis hæmorrhoidalibus*, in *colica hæmorrhoidali* &c. Eo utilitatem suam extendunt, quo *alvinam* excretionem vel faciliunt, vel si deficit, promoveant: *interdum* *Pediluvia* in aliis casibus ad *hanc* evacuationem *facilitandam* ordinari possunt, in quibus *non semper* consultum aut utile est *per alia* adminicula alvum provocare velle, velut in *phthysi*, in *hectica*, in *suspectis scirrhis* internis, in affectibus *hypocondriacis*, *hystericis*, *spleneticis* &c. in quibus aliquando sine *positivo* pharmaco cum hoc *simplici* remedio hæc excretio *facilitari* potest: quod si etiam *providus* artifex in nonnullis *chronicis* affectibus suo scopo *alienum* esse judicet, cum *internis artificiosis* subsidiis hanc excretionem excitare, tunc hoc *simplici* auxilio satis sæpe *secure* & nonnunquam prompte illam promovere potest. Quantam utilitatem afferant *Pediluvia* *Transpirationi insensibili*, extemporaneus & promptus usus atque effectus attestatur; quare *simplex* illa est observatio, quomodo sub *Pediluviorum* usu *uno eodemque* successu confestim *diaphoresis* provocetur; quemadmodum homines, qui alias *difficulter* sudant, hoc ipso *Pediluvio-*

rum usu ad *sudorem* disponuntur: quo loco commodam occasionem nanciscimur, ut hæc Pediluvia *illis* commendemus, qui *egrius* sudantes varios *affectus* ex *impedita* transpiratione orientes, præservare cogitant, ad hanc classem pertinent *nonnullæ* febres continuæ, febres *purpuratæ*, affectus *scabiosi*, impuritates *cutaneæ*, decubitus *catarrhales*, affectus *rheumatici*, dolores *spasmodici*: ita ad *scabiem retropulsam*, revocandam & in superficiem corporis denuo restituendam, ad affectus *spasmodicos*, qui repressi sunt, iterum in *pristina* loca reducendos, Pediluvia effectû hoc *diaphoretico* non parum contribuunt; eodem effectû proficiunt ad *acrimoniam* aliamque impuritatem sanguinis corrigendam, dum per *diaphoresin* ferum inimicum ad efficacem *excretionem* promovent: *temperatus* enim ille *calor* à Pediluviorum usu proveniens communicatur *moderato* effectû *reliquo* corpore, ut *modica* superficiei corporis relaxatio necessarium ac *salutarem* diaphoresin invitet: quando itaque ex *repentina* transpirationis insensibilis aut actualis *sudoris oppressione* mala confectaria & gravia pathemata *morbosa* imminet, tunc commode hæc Pediluvia ad *præservanda* illa incommoda ordinantur & adhibentur: & quemadmodum *sudor annuus spontaneus* temere *suppressus* multa *suspecta* pathemata invitat, prout id nuper peculiari disputatione *D.D. Præses de Sudore annuo spontaneo* diserte explicavit, ita ad sudorem talem *secure* ac placide *restituendum* Pediluviorum *congruus* usus multam opem & utilitatem affert, qui propterea *aliis* auxiliis in hoc casu *præferri* aut ad minimum *combinari* & *subordinari* debet: Neque oblivioni tradenda est *utilitas* Pediluviorum ad *Diuresin* faciendam & restituendam, dum ad *suspectas viarum* urinarum *stricturas* referandas & *relaxandas* contribuunt, ut necessarius humorum *affluxus* ad illas vias continuet, & *connexi* feri *urinosi excretio* libere procedat; quare in
præser-

præservatione & nonnunquam etiam in *curatione* morborum ex *diuresi læsa* ortorum, aut *frequentiore* diuresin postulantium, si aliæ circumstantiæ non *obsint*, hæc *Pediluvia* suam *utilitatem* afferunt & comprobant: & cum subjecta *strictioris* & *siccioris* temperamenti non modo *difficilem* diuresin experiuntur, sed & ob eandem difficultatem variis *morbidis* incommodis submittuntur, ita *Pediluvia* interdum usurpata *urinae excretionem* in ejusmodi subjectis promovent, adeo ut *una* magno cum emolumento *alvina excretio* liberetur, sicut *utraque* talis *excretio* in *eximio connubio* consistit, uti, hanc circumstantiam annotavit & commendavit. *Langius in Miscell. curios. med. Problem. 6.* quare in *alvi* & *urinae defectivis* vitiis in variis casibus *Pediluvia* multam *utilitatem* afferunt: ita ut brevibus hætenus ad *triplicem* hanc evacuationem *promovendam* pediluviorum usum approbaverimus: sicut in *genere de Pediluviorum utilitate medica* agit *Bellinus de sanguinis missione* propositione 8.

§. V.

Præter has *evacuaciones*, quas *Pediluvia*, *rite* adhibita, *facilitare* & *revocare* solent, adhuc *aliæ salutares excretiones* occurrunt quæ cum *Pediluviis* *promoveri* possunt, inter illas præcipue allegari merentur *Menstruæ* illæ *purgationes*, quæ *imminutæ suppressæ* aut *perturbatæ* cum *Pediluviis* non raro in *debitum ordinem* redigi possunt: & hæc ipsa *Pediluvia* in tali indicata afflictione, quando *debite* adhibentur *præstantissimum* opem pollicentur, dum non modo multa *incommoda* & *symptomata* quæ prædictas *Mensium turbas* comitari solent, *mitigant*, sed & ipsum *debitum fluxum* revocare adjuvant, de qua utili, *rationali* & simul *practica* consideratione *Illustris Stahlius Disput. de V. Sne in Pede & aliis certis corporis regionibus.* §. 49. dicit: *Sola quoque Pediluviorum tempestiva administratio præcipuum usum maxime habet tali ætate, atque reli-*

qua constitutione, qua etiam spontaneus & reliquæ corporis æconomie utilis atque salutaris motus sanguinis versus hæc regiones inferiores exerceri solet: & ex ejusdem Celeberrimi Viri commendatione multiplicia specimina saluberrimæ imitationis & applicationis Pediluviorum in ejusmodi casibus passim constant, modo hujus auxilii usus opportunus & tempestivus sit: alias si tales Mensium anomalix confirmatæ & inveteratæ sunt, tunc Pediluvia potius disponunt ad œdematosos pedum infarctus: & quemadmodum cum ejusmodi Mensium turbis, variæ aliæ salutarium evacuationum inversiones conspirant, ita eadem Pediluvia alias evacuationes promovendo, tanto facilius Mensium restitutioni adjuvandæ inserviunt: singularem etiam meretur annotationem illa in hoc casu perpendenda circumstantia, quod anotericæ illæ regurgitationes humorum, quæ ut plurimum has Mensium anomalias comitantur, & simul ipsi hisce Mensium turbis conservandis & confirmandis quadrant, per Pediluvia communiter corrigi & avocari possint; hinc cardialgicis, asthmaticis, cardialgico syncopiticis, emeticis, hæmato-emeticis pathematibus mitigandis & emendandis non parum contribuunt, eadem Pediluvia: quod si etiam Menses cum multis doloribus progrediantur, subinde vero parcius succedant, tunc & illis mitigandis & his liberandis ac promovendis conferunt Pediluvia: quando itaque in ejusmodi Mensium anomaliis interna remedia irregulares motus corrigentia & deinde hæc Pediluvia adhibentur, tunc eo facilius hæc salutaris evacuatio promoveri potest: proinde etiam sciendum, quod hæc Pediluvia ad Menses revocandos tam diu non inserviant, quam diu insignis cacochymia has anomalias sustentat, quando vero motuum vitia has turbas convocarunt, tunc paulo facilius conveniunt: & in tali quidem casu Pediluviorum salutaris effectus multiplex est, dum sanguinis fluiditatem adjuvant, alvinam excretionem liberant, partes inferiores aperiunt ac relaxant & neces-

necessarium *affluxum* in regiones inferiores convocant: *aff-*
iterata vice monemus, ne *serius* in hoc casu hoc auxilium
ordinetur, alias plus *officit*, quam proficit: deinde etiam
sciendum quod pro *eodem* scopo Pediluvia in *feminis ju-*
nioribus & sensibilibus facilius profint, in reliquis vero *non*
penitus infructuosa sunt, quæ licet non æque necessarium
fluxum sanguinis *revocent*, tamen variis conjunctis *molestis*
ac suspectis *symptomatibus leniendis* satisfaciunt: Quod mo-
do dictum fuit de Mensium promotione & revocatione
per Pediluvia idem valet de *Hæmorrhoidum* negotio & *mo-*
tibus hæmorrhoidalibus: quantum enim *sanitati* conferat,
quo hi *in ordinem* congruum revocentur & in eodem etiam
conserventur non placet hoc loco fufius exponere, sed po-
tius hanc *veritatem* ex *multiplicibus* observationibus & *ratio-*
nalibus deductionibus & demonstrationibus *præsupponimus*:
illud vero *memori* mente tenendum esse censemus, quod
perturbationes motuum hæmorrhoidalium multis *damnis*
convocandis quadrent, deinde, quod multum referat, quo
fluxus hæmorrhoidalis *tempestive* in *debitum* ordinem redi-
gatur, denique quod hæc *emendatio* non nisi *temperatis* &
probatis adminiculis fieri debeat, quoniam hæmorrhoidale
negotium adeo *delicatum* est, ut cum *potentioribus* medica-
minibus & regiminibus eo magis *confundi* & depravari que-
at: quare illius emendationi *simplicia* auxilia *plus* profunt,
quam speciosa & *portentosa*: ex illorum simplicium auxi-
liorum numero merito *Pediluvia* allegari debent, quæ tan-
to magis *turbis* Hæmorrhoidum *corrigendis* quadrant, quo
certius ut plurimum *motuum* vitiis, *aliquando* etiam *certarum*
materiarum *lesæ* qualitati subvenire solent: & quoniam
hæ *anomalie* hæmorrhoidales *plus motuum* vitiis sustentan-
tur, *sepe* etiam illis plane *nituntur*, propterea *genuino* ha-
rum *anomaliarum causis* facilius *respondent* Pediluvia: quan-
do itaque Hæmorrhoides *tenaciter* *supprimuntur*, aut *im-*
minuuntur & *defective* progrediuntur, aut difficulter, egre-
diun-

diuntur, aut *nimis raro* revertuntur, aut in *alias regiones* dilabuntur, ex *alienis* locis emoliuntur, præcipue vero in *superiores* abdominis & reliqui corporis regiones evagantur & hinc à libero, *legitimo* & genuino suo statu deflectunt, tunc Pediluvia multam *utilitatem* promittunt & afferunt: & huius negotii mentionem facit *Celeberrimus D. D. Stablius l.c.* ubi uno nexu §. 50. præcedentes animadversiones ad *Hæmorrhoidale* negotium applicat & *implicite* Pediluviorum *usum* & *utilitatem* in eodem commendat, uti *explicite* de hac consideratione §. 49. disseruit: huc spectat illa observatio quam prælaudatus *Excell. Vir.* §. 26. in casu quodam Practico proposuit, qua utilitatem pediluviorum in *Mensium perturbato* statu & *anoticis* congestionibus ad *insolitum* Mensium cursum & decursum spectantibus, diserte commendavit & hisce verbis proposuit: *præcipuum evidentem efficaciam tam Venæ Sectionis, quam Pediluviorum in eo maxime percipit, quod V. Snis usu per complures septimanas ab ejusmodi doloribus quasi penitus immunis degat: à Pediluviiis autem etiam intra valde exiguum tempus egregiam sublevationem persentiscat:* ex hisce animadversionibus breviter tantum *Pediluviorum utilitatem* ad *Hæmorrhoidum turbas* commendare placuit.

§. VI.

Præter hanc utilitatem, qua Pediluvia prædictis *salutaribus* sanguinis *superflui* & *molesti*, excretionibus *revocandis* & *facilitandis* conveniunt, adhuc variæ occasiones suppetunt, quibus eadem Pediluvia diversis *aliis Hæmorrhagiis* tam *deficientibus*, quam *excedentibus* & *incongrue* procedentibus aliquam opem afferre deprehenduntur: unde notandum, quod Pediluvia in *Lochiorum defectivis* vitiis *tempestive* & *congrue* adhibita multum omnino conducant; quando itaque *Lochiorum* fluxus *imminutus* & *suppressus* est, subinde etiam *periculosa* morbida *consecutaria* imminet, velut internæ *inflammationes*, graves *cardialgiæ*, *spasmi*, *colicæ*

cæ convulsivæ affectus *purpurati*, tunc Pediluvia indies usurpata cum *interpositis internis* temperantibus, antispasmodicis, discutientibus, lenientibus & aperientibus eximie profunt, dum tempestive suspectas *uteri & vicinarum* partium *occlusiones* referant ac *relaxant*, *affluxum* sanguinis in *has vias* revocant, *depressum* sanguinis *motum* allevant, *anotericas* restrictiones & congestiones, ut & reliquas *vagabundas* aut etiam *tenaces* commotiones *spasticas* dissolvunt & *revelant*: & cum sub *lochiorum* turbis & *alvi & urinae* excretio perquam offenditur & *impeditur*, ita Pediluviorum *peritus* usus *utriusque* excretioni *liberandæ & restituendæ* confert, multum vero juvat ad illas *inquietudines* in abdomine concurrentes *complacandas*: Quando nonnulli homines ad *immodicas narium Hæmorrhagias* proclives sunt, tunc Pediluvia *præservatorie* & prudenter adhibita *suspectum* talium Hæmorrhagiarum *recursum* intercipiunt, & immodicas illas *congestionem à capite avertunt*: & ita idem *peritus* Pediluviorum usus non modo ab *Hæmoptysi* *præservat*, sed & *frequentem* ac immoderatum *Hæmoptyseos recursum* præoccupat; ac *eo pertinentes* *congestionem* sanguinis ad pectus & conjunctas pectoris *oppressiones* intercipit: ita porro à *Vomitibus Cruentis* *comminatione* *præservat* & ipsum *insultum* illius vomitus valide *minuit* atque *avocat*: præterea *Hæmorrhoides & Menses* ab *insolitis viis & anotericis eluctationibus* avertit & subinde ad *solitum* harum Hæmorrhagiarum *successum* disponit & *invitat*: quando etiam in nonnullis morbis *anotericæ, suspectæ* Hæmorrhagiæ ingruunt, tunc sæpe eadem Pediluvia, rite adhibita, illarum Hæmorrhagiarum *insultum præscindunt*: exinde facile liquet, quod Pediluvia *legitimum* *successum* *Hæmorrhagiæ narium* turbent & *necessarias* *congestionem* à capite *avertant*; hinc illi, quibus tales Hæmorrhagiæ *incommode & moleste* sunt, per repetitum Pediluviorum usum easdem *coercere* & à futuro *recursum* *avocare* possunt; ast caveant, modo, ne tales illa-

rum Hæmorrhagiarum *oppressiones* fontica quædam *damna* post se trahant: in quibuscunque porro subjectis *Menstruæ* uteri purgationes & *Hæmorrhoidales* fluxus *excedere* solent, illis Pediluvia *non conveniunt*, quoniam *prodigos* illos fluxus *augent* & *affluxus* humorum in *has* regiones convocant: exinde apparet, quantam efficaciam habeant Pediluvia in *Hæmorrhagias alterandas*, quemadmodum singulæ hætenus commemoratæ *observationes* ex *ingenua* & *approbata experientia* petitæ sunt: quod vero concernit *rationes* horum *effectuum*, tunc *motuum* major consideratio in his negotiis habenda est, quam *materiæ*, nimirum *sanguinis*: quamvis enim Pediluvia ad *fluiditatem* sanguinis conciliandam contribuant, tamen hæc *non satisfacit* ad illos prædictos *effectus* penitus invitandos: quando vero per Pediluvia *inferiores* regiones *relaxantur*, tunc sanguis hæc *copiosius* ingreditur, unde ex aliis & quidem *supernis* regionibus huc successive *majori* quantitate se immergit, quæ superiores regiones à *copioso affluxu* & *infarctu* *liberantur* & *connexi apparatus* hæmorrhagici atque *fluxus* sanguinis *avertuntur*: in quo negotio multum *efficaciæ motus tonici* tribuendum est, quo *mediante* nunc humores *copiosius* in *inferiores* partes transferuntur.

§. VII.

Hætenus aliquoties dictum fuit, quod Pediluvia *sanguinis fluiditatem* promoveant, quæ assertio nunc ad *specialem* considerationem ducenda est: quod vero Pediluvia ad talem effectum conducant à *priori* sive *ratione*, ac à *posteriori* sive *experientia* facile demonstrari potest: quod demonstrationem à *priori* attinet, tunc constat, quomodo Pediluvia *occasionem* ministrent, quo *Massa sanguinea* paulo *intensius* moveatur & simul suo motu in *exteriorem* corporis ambitum invitetur, sub quo motu non modo quoad *gradum* intensiori, sed & per *partes fibrosas* & *carneas* *efficacius* procedente, sanguis *spissior* *dissolvitur* & *attenua-*

nuatur; etenim quando *peripheria* corporis *referatur* & in *illam* paulo magis *affluxus* & *ingressus* sanguinis ab *internis alveis* invitatur, tunc tanto *facilius spissior* sanguis conquasfatur & *subtilisatur*: deinde ex usu Pediluviorum sanguini aliqualis *incallescencie* gradus conciliatur, *mediante* quo denuo *præsens humorum spissitudo* alteratur, ut sub augmento *intestine* hujus commotionis necessaria *fluiditas* iisdem *successive* interdum concilietur: hinc *connexus* hic Pediluviorum usus merito advertendus est, quod *calorem naturalem* promoveat & excitet: qualis utilitas itaque ab hoc calore pendet, talis ex parte Pediluviorum prudenti applicationi adscribi potest: à *posteriori* vero *attenta* experientia testatur, quod Pediluvia ut plurimum in *illis affectibus* admodum profint, in quibus *sanguinis spissitudo* in culpa est; unde in *genere* subjectis *melancholicis* magis profunt, quam obsunt, deinde in affectibus *hypochondriacis*, *spleneticis*, *hepaticis* & *torpore* morbofo membrorum, in *anomaliis Mensium* & *Hæmorrhoidum*, in *alvi obstructione*, in *asthmate sicco*, in *scorbuto*, in *dyspnæa*, in *deliriis melancholicis*, in *obstructionibus viscerum colatoriorum*, in *stagnationibus* & *stasibus* sanguinis internis & externis, in *maculis sanguineis* & *suggillationibus* spontaneis, in nonnullis *spasmodis*, in *urine vitiis*, in multa *animi* & *corporis inquietudine*, in *timitu aurium* &c. quando & quoties videlicet tales affectus hac *spissitudine* sanguinis nituntur aut ab hac *foventur*, confirmantur & *exacerbantur*, evidentem suam *utilitatem* multis exemplis obtestantur, modo *rite* adhibeantur & cum aliis *congruis* medicamentis & regiminibus subleventur: quando vero sanguis *nimis fluidus* & *subtilis* propterea que variis *suspectis* & molestis *orgasmodis* subjectus est, tunc Pediluviorum usus *omittendus* est, quoniam non modo *ominosam* illam sanguinis *tenuitatem* auget, sed & *ebullitiones* illas *adversas* & *morbificas* provocat & exacerbatur: interim Pediluvia

etiam *rite* adhibita, in *Plethoricis* subiectis haud inutilia sunt, modo *singulae* circumstantiæ bene perpendantur & iuste *concilientur*: etenim in *Plethoricis* hominibus *Pediluvia interdum* usurpata, debitum *progressum* sanguinis conservant, *peripheriam* corporis *aperiunt* & necessarium *ingressum* in eandem promovent, subinde reliquas *ordinarias* evacuationes facilitant & occasionem subministrant, quo sub *libero* progressu aliquid de *superfluo* sanguine consumatur, in *serum* convertatur & sub *diaphoresi* ac *diuresi* excernatur proinde *molestum* sanguinis pondus successivè & placide *imminuatur*: An porro *Pediluvia* ad *Cacochymiam* emendandam *aliquam* utilitatem conferant, merito in foro Medico inquirere convenit: ast quamvis *proxime* & *directè* humorum pravitatem *meliorare* haud queant, tamen *eminus* ad *correctionem* humorum non parum contribuunt: *discernendæ* vero omnino sunt illæ *specialissimæ* circumstantiæ, quæ in *Cacochymia* *Pediluviorum* usum dissuadent & *contraindiciant*: alias ad *Cacochymia* *faciliorem* emendationem satis sæpe *Pediluvia* conferunt, dum *depressum* *progressum* sanguinis *allevant* & excitant, ut sub *efficaciori* humorum motu non modo *abstersiones* & *secessiones impuritatum* facilius succedant, sed & *organa calatoria* magis *perluantur*, *aperiantur* & ad functiones *secretorias* aptentur; deinde ut qualiscunque *fluiditas* talibus humoribus concilietur, sub qua impuritatum separationes eo promptius succedere solent, sicut præterea *ordinariæ* evacuationes, videlicet *transpiratio peripherica*, *diuresis* & *alvi exoneratio*, adjuvantur ut *ordo vitalis* eo ipso restituatur & observetur, ac colluvies recrementorum & *impuritatum* *successive* educatur: quando itaque *Pediluvia* *hos actus* & *effectus* provocant & promovent, tunc omnino *aliquam* utilitatem ad *Cacochymia* curam conferunt: quo loco minime nobis sermo est, quasi *Pediluvia* illa *unice* ad affectum talem *penitus* extirpandum satisfac-

faciant; suffecerit interim in præsentī tractione indicasse: an & *qualem* utilitatem illa in *nonnullis morbidis afflictionibus* afferant; neque etiam in hac posteriori consideratione, qua utilitatem Pediluviorum in *Cacochymia* brevibus annotavimus, penitus improbamus, quo illis *Pediluvii* nonnullæ herbæ *nervinæ* suaveolentes admisceantur, quarum *expiratio* reliquo corpori præcipuè vero illius *superficie* *roborantem* vim in subjectis *sensibilibus*, neque valde torpidis & adultis conciliat, sub qua modica *roboratione* *reliqui* prædicti effectus paulo *facilius* succedere possunt.

§. VIII.

Neque tantum Pediluvia ad *generales* tales affectus & causas *morbificas* se extendunt, sed variis *specialioribus* affectibus *levandis* & *mitigandis* satisfaciunt, quare in diversis *Capitis* afflictionibus *multiplicem* & satis *eximiam* utilitatem afferunt: quod enim in *simplicibus Cephalalgis* conducant, docet *simplex* & *attenta experientia*; siquidem illis subjectis, quæ cum *frequentibus* talibus doloribus vexantur, hæc Pediluvia *securum* & *utile* remedium constituunt, quod quidem *per se* hunc effectum *non penitus* tollit, tamen *eximie mitigat*, caput à nimia *oppletione* liberat & allevat: ac *conjunctos* dolores lenit: ob id in tali afflictione Pediluvia & *præservatorio* & *curatorio* scopo conveniunt: non minus etiam in *Hemicrania* & *Cephalæa* conducunt, præcipue si *tales* capitis molestiæ à *nimia* sanguinis *congestione* dependent: quemadmodum etiam *reliquis* Cephalalgiarum species five *congestiones* five alii *affluxus* humorum comitantur, ita in iisdem *non penitus* inutilis est Pediluviorum applicatio: quicumque vero Cephalalgiam quandam à *debilitate* generis nervosi solide derivare possunt, illis liberum & concessum erit, cum aliqua ratione à Pediluviorum usu *abstinere* ne *suppositam* illam imbecillitatem generis nervosi magis *augeant*, ni ad

eandem sanguinis *plenitudo* causam & occasionem subministrat: neque improbari potest Pediluviorum usus in *Cephalalgia venerea*, quæ multum à *congestionibus* illis sanguinis fovetur & exacerbatur, quando itaque hæ *congestionibus avertuntur*, tunc non leve emolumentum & decrementum illis doloribus accidit: neque quidem defunt exempla, quibus testari licet, quomodo Pediluvia *periodicis* cephalalgis utilitatem aliquam attulerunt, qualis historia allegatur in *A. N. C. Dec. 1. an. 2. obs. 247.* non minus eadem Pediluvia ad *Apoplecticos, Hemiplecticos*, nonnullos *Paralyticos, soporosos, convulsivos* affectus *præservandos* conducunt, quando *affluxus, infarctus* & consequentes *secessiones* humorum à capite *avertunt*, quales causæ *interdum* ad hos affectus disponere solent: hinc *tempestivus* usus Pediluviorum ad ejusmodi arduos morbos *præservandos* interdum eximiam utilitatem conciliat: præterea ad *vertiginem Plethoricorum* & *hypochondriacorum* emendandam & præoccupandam multum conducunt, modo *reliqua necessaria* auxilia conjungantur, quæ huic adminiculo fidas manus præbent, videlicet *artificiales* sanguinis *depletiones*, *alvinæ* excretionis liberationes & promotiones, sufficientes *humorum* & *viarum* dilutiones ut & successivæ moderationes *congestionarum* & *spasticarum* commotionum cum aliis aptis auxiliis: porro Pediluvia conferunt in frequenti *efflorescentia* & *deformatione faciei*, quæ cum *congestionibus* illa *anoterica* sanguinis admodum consentit; hæc quando per ejusmodi Pediluvia constanter *avertitur*, tunc firmæ illæ *cutaneæ defædationes* præoccupantur: quando etiam contingit, ut in *capite* suspectæ *ulcerationes* oriantur & ab ejusmodi *congestionibus* & *affluxibus* humorum foveantur, præcipue quando ab *aliarum* salutarium *evacuationum* sanguinis *catotericarum* sive *Mensium* sive *Hæmorrhoidum* suppressione aut perturbatione originem traxerunt, tunc Pediluvia perinde cum multo fructu adhiberi possunt: hisce considerationibus

bus annectimus hanc observationem, quod videlicet idem Pediluviorum usus una cum aliis aptis remediis utilitatem suam comprobet, quando ex *Hæmorrhagiis narium cessantibus* aut *suppressis & turbatis*, nec non ex *congestionibus sanguinis* cum *Hæmorrhagiis* illis *conspirantibus & caput affligentibus*, in *facie* oriuntur quædam *concrementa carnosæ, sanguinea*, successive in *majorem* molem accrescentia, quale exemplum & casus contigit D. D. Præsidi in Mysta quodam, qui ex *anomalicis* moliminibus *hæmorrhagicis* in externa narium parte tale irregulare & deformans concretum obtinuit, quod ex usu *septicorum*, qualia à nonnullis chirurgis adhibita fuerant, aliquoties periculofum *Erysipelas* capitis post se traxit: ex *emplastrorum* vero applicatione non modo indies in *majorem* molem accrevit, sed & *sensibilibus doloribus* corruptum fuerat, ut toto *animo* ipse Mysta angebatur, & ne propterea ad officium suum *ineptus* reddatur, sollicitus erat: tandem D. Præsidem in consilium traxit, qui post sufficientem corporis *præparationem*, generalem sanguinis *abundantis* imminutionem, aliquoties ad illud concretum *hirudines* ordinavit, *pediluvia* subordinavit & denique *ab extra* ad affectam partem *repellentia & exsiccantia* applicanda præscripsit, inde etiam tale concretum successive *exaruit* & evanuit; post aliquod tempus deinde ille Mysta *Hæmorrhoidarius* factus fuit: quemadmodum vero ad tales diversos capitis affectus Pediluvia multum proficiunt, ita proinde in *natu majoribus* subjectis ad varios *oculorum* morbos conducunt, præcipue ad *ophthalmiam* præservandam & mitigandam, ad *Epiphoram* minuendam & successive auferendam, præcipue quando hæc cum *Mensium* negotio consentit, cujus rei testimonium è Praxi D. D. Præsidis allegare placet, ubi virgo 14. annorum temperamenti phlegmatico - sanguinei ob *Mensium defectum* & difficilem eruptionem tam graves *Cephalalgias*, quam immoderatam *Lippitudinem* satis diu tolera-

verat, cui præter alia adminicula etiam *Pediluvia* ordinata erant, quæ cum multo effectu & *Mensibus* & *capiti* subvenerunt: sic porro *Pediluvia* illa conducunt in diversis *hypochondriacorum* & *hystericarum* afflictionibus dolorificis, *vertiginosis*, *temulentis*, in ita dictis *obstructionibus capitis* & *narium*, in molesta *siccitate* narium, in *tinritu* & *susurru* aurium, in *otalgicis* invasionibus aliisque: denique etiam non raro hæc *Pediluvia* in *odontalgia* proficua deprehenduntur, quæ *nimum* illius impetum præoccupant & nimis *frequentem* recursum ejusdem intercipiunt; unde facile liquet, *quantam* utilitatem *pediluvia* habeant in *capitis* affectibus: ubi frustra consensus *generis nervosi* aut aliarum partium primario accusatur.

§. IX.

Præter hætenus commemoratos capitis affectus *Pediluvia* in variis *Deliriorum* speciebus variam utilitatem præstare solent, siquidem *Maniacis* opportuno tempore adhibita aliqualem *requiem animi* & *corporis* conciliant, *ni-
mias vigilias* leniunt, *raptus sanguinis à capite* avocant, *sanguinis distributionem* in reliquum corpus promovent, *ordinarias* evacuationes faciilitant & *regularem* motuum vitalium successum adjuvant: cavendum tamen est, ne *nimis sepe*, *nimis diu*, *nimis confuse* neve *indiscretim* adhibeantur, sed quo reliqua *congrua* medicatio jungatur: proinde admodum conferunt in *Melancholia* præcipue *hypochondriaca*, in qua sanguinis *spissioris* fluiditatem adjuvant, *alvi* excretionem liberant, *congestionem* sanguinis à capite avehunt, *æqualem* sanguinis *distributionem* invitant, partium *stricturas* relaxant, *progressum* sanguinis per *hypochondria* promovent & subinde ad aliqualem *requiem animi* occasionem ministrant, dum *angustiam* in animo & præcordiis minuunt: profunt præterea *Pediluvia Noctambulis*, dum ad *placidum somnum* disponunt, suspectam *crassitiem* sanguinis corrigunt, *ordinarias* excretiones adjuvant, san-
gui-

guinis *equalem* motum promovent, *caput* à nimia *oppletione* humorum levant & sub tranquilliori successu talium actionum, quæ *corpus* attinent, ipsam *mentem quietam* & tranquillam reddunt: quando in *Phrenitide* Pediluvia commode & congrue adhiberi possunt, tunc utilitatem suam, variis modis genuinam & efficacem, ad vota comprobabunt: Quid commodi & emolumenti afferant Pediluvia in nimis vigiliis, abunde docuit experientia, cujus observationis mentionem facit, *Sennertus Prax. lib. 1. part. 2. Sect. 3. c. 1. Stablius loc. cit. Benedictus Sylvaticus, Platerus, Sim. Pauli* alique: hinc extra morbidam afflictionem hæc Pediluvia ad placidum somnum conciliandum eximie profunt, ut non necesse sit, ipsis *soporifera* adminicula admiscere: quare in illis casibus ubi somnus cum vulgaribus narcoticis remediis secure provocari non potest neque debet, hæc Pediluvia multam opem largiuntur, dum enim corpori lenem relaxationem conciliant, *caput* ab humorum affluxu liberant, motus sanguinis liberum successum promovent & reliquas functiones ad corporis integritatem pertinentes faciunt, ita eo certius & sincerius animum tranquillat & somnum conciliant: quare in *phthysi, hectica* & diversis aliis chronicis morbis, in quibus longinquus somni defectus vires admodum confumit & destruit, prudens Pediluviorum usus cum multo adjuvamento adhiberi potest: neque tamen propterea idem usus penitus dissuadendus est in nonnullis soporosis affectibus; hi enim dum cum præternaturali somno se produnt, per illa Pediluvia non deteriorantur & confirmantur, sed dum causa horum affectuum ut plurimum in capite hæret, ita Pediluvia quandoque illam causam alterare, aut ad illius remotionem contribuere possunt & solent: id quod tanto magis succedit, quando tales affectus augentur & foveantur ab irregularibus congestionibus & affluxibus humorum nec non à concurrentibus aliarum salutarium evacuationum retentionibus & suppressionibus: eximiam subinde salubritatem

E

Pedi-

Pediluvia promittunt famoso illi *clavo Hysterico*, sive *Cephalalgiae Iliaco-Hæmatiticae* aut *Colicae anotericae*, cuius affectus *primas* origines non modo Pediluvia *leniunt* & emendant, sed & ipsum illum affectum variis *salutaribus effectibus* mitigant: Et dum *convulsivi* morbi *primam* suam emanationem *e capite* fuscipiunt, ita Pediluvia in *variis* convulsivis morbis *adultiorum* subjectorum conveniunt, præcipue quando illi morbi à plenitudine, *spissitudine*, *irregulari commotione*, *anomala translatione* sanguinis *ad caput*, *suppressione salutarium evacuationum*, maxime vero *Hæmorrhagiarum*, à nimio terrore ortum traxerunt, aut quando ab *aliis* quidem causis ortæ sunt, attamen à *prædictis* causis foveantur & *confirmantur*; in qualibus casibus illa Pediluvia etiam *sedativam* quandam efficaciam habere & exercere deprehenduntur: sic etiam Pediluvia *variis* capitis *spasticis* & *rheumaticis* affectibus opitulationem satis *evidentem* promittunt; dum *præservatoriis* scopis adhibita *causam* horum affectuum intercipiunt, quo minus *frequenter* aut *eminenter* caput invadere queat; neque quidem sub iusta metho-
do in talibus affectibus etiam *curatorie* adhibita omnem suam medicam virtutem exuunt, sed *quadantenus* utilia existunt: quantum Pediluviorum usus ad *minuendam* illam *orgasticam* sanguinis commotionem sub *particulari* conge-
stione sese intra *caput* & *faciem* diffundentem & cum molesto *ardore* & *rubore* prodentem contribuat docet fida & attenta experientia: non minus *illis* hominibus Pediluvia *præservatoriis* scopis perquam proficua existunt, quibus *Erysipelas* capitis & *glandularum tumores* in *capite* frequentius obtingunt, quippe qui affectus *multum* illis *activis* humorum *congestionibus* nituntur, præcipue quando *certis* *periodis* recurrere observantur; in quibus casibus *successive* tales *anomalas* translationes humorum *anotericas* avertunt & *ordinarium* illorum progressum cum solitis & *legitimis* *evacuationibus* stipatum promovent: sed hæc suffi-

ficiant de *utilitate Pediluviorum* ad effectus *capitis* dixisse: reliqua attento & sedulo observatori & imitatori commendamus.

§. X.

Proximum est, ut nunc brevibus demonstremus in quibus *Colli* ac *Pectoris* affectibus *Pediluvia* *proficua* esse observantur, ubi *generice* quidem indicandum est, quod in *similibus* morborum speciebus illa *Pediluvia* conducant, videlicet in affectibus colli & pectoris *congestoris*, *inflammatoriis*, *rheumaticis* & *spasticis*; quare in *Rheumatismis faucium* & conjuncto *Brancho*, in *anginodis* insultibus, in *tonsillarum* inflationibus & inflammatoriis afflictionibus, in affectibus illis *spasticis* & *rheumaticis nucham* & *humeros*, aliquoties infestantibus, conveniunt; tanto magis vero in hisce afflictionibus conducunt, quando illi vel à *sanguinis ubertate* proveniunt, vel cum illa *consentiunt*, adeoque ab eadem *sustentantur* & *invitantur*: præterea conferunt in quibuslibet *moliminibus Hæmoptylicis*, in *congestionibus* pectoris sanguineis, in certa *asthmatis sicci* specie, in insultibus *pleuriticis*, *peripneumoniacis*, in nonnullis *spasticis* pectoris affectibus, in *dyspnoea* cum *sanguinis ubertate* connexa, in *polyposa* cordis concretione in pulmones se extendente, in *diversis doloribus* internum & externum *pectus* detinentibus, in *tophis pulmonum juniorum* & *plethoricorum* subjectorum, in *palpitatione cordis*, in *scirrhusa* pulmonum afflictione, in *asthmatico* statu è *Mensium* & *Hæmorrhoidum* turbis proveniente: in quibus singulis affectibus *Pediluvia* sanguinis *affluxum* in *inferiores* regiones invitando, *superiores* subinde partes à *futuris* nimis *oppletionibus* & consequentibus *humorosis secessionibus*, irritationibus atque offensionibus liberant atque *levant*; quando itaque tales molesti *infarctus*, *difficiles humorum progressus*, molestæ & in-

commodæ secessiones humorum acrium & partium sensibili-
um offensiones & irritationes ad *Spasmos* disponunt, quan-
do *nimia sanguinis plenitudo, irregularis & immoderata*
congestio, suspecta spissitudo humorum ad stagnationes, stases
& consequentes *inflammationes* disponit, quando *molesta*
abundantia sanguinis ad molimina hæmorrhagica ad pectus
transeuntia ansam præbet, tunc in singulis hisce passibus
& casibus *Pediluvia utilia* esse deprehenduntur: & hæc
ipsa etiam est *causalis & simul fundamentalis* ratio, *cur* ad
prædictos affectus hæc *Pediluvia proficua* existant, siquidem
haud difficile est, hanc utilem *Pediluviorum* efficaciam *ex*
consensu motuum indagare & enucleare, quo *minus princi-*
*pali*ori & *evidentiori* causandi ratione meræ qualitates *ma-*
teriarum ad hoc problema Pathologico-Therapevticum
illustrandum satisfaciunt: exinde facile etiam elucescere
potest, quantum *commercium* habeant *Pediluvia* cum *mo-*
tibus, ex quorum diversa & congrua *alteratione* multi ex
prædictis morbis *minuuntur* & mitigantur, quæ *relatio* *Pe-*
diluviorum ad *motus* in talibus casibus *plus* valet, quam ad
materias, licet illis *non omnem* vim in *materias* denegemus,
uti in præcedentibus fusius demonstravimus; dum itaque
Pediluvia Pectus à nimio humorum affluxu liberant, subin-
de vero reliquum transitum & *progressum* humorum *per Pe-*
ctus facilitant & *sublevant* & in hoc *posteriori* effectu *privati-*
ve succurrunt, ac in *priori positive* subveniunt, ita facile u-
tilitas *Pediluviorum* in *prædictis* *Pectoris* morbis à priori
æque ac à posteriori demonstrari potest; neque vero *tali*
tantum effectu *Pediluvia* in *illis* morbis *proficua* esse de-
prehenduntur, sed comprobant insuper suam salubritate-
tem, dum reliquas *ordinarias* excretiones *promoveant*, adeo-
que *præoccupant*, ne ex *illarum turbis* vel tales morbi gene-
rentur, vel confirmantur & exacerbentur: proinde *Pedilu-*
via in Polypo Cordis sane plus, quam *multa alia interna re-*
media conducunt, quæ posteriora dum *directe & proxime*
cau-

causam morbi non attingunt, nedum auferunt, ita Pediluvia multis internis remediis in hoc casu præferri merentur, dum subinde *seculo & leni* effectu se commendant & cor à copioso *affluxu* sanguinis præservant, adeoque *progressum* sanguinis *circa cor sublevant*, sicut Pediluvia, V. Snes, diluentia & antispasmodica remedia, præstantissima auxilia sunt, quæ in illo casu proficua existunt: neque hoc ordine Phthiseos oblivisci placet, in qua *iusto* tempore adhibita Pediluvia æque conducunt: etenim dum non modo *copiosus* humorum affluxus ad Pectus, aut actuales *congestion*es sanguinis ad *pulmones*, ut & molimina *hæmoptica*, deinde etiam *retentiones* ordinariarum evacuationum, præcipue *alvi* obstructions Phthisin *exacerbant*, quid quod dum frequentius Phthisin *oppressiones* Pectoris molestant & per intervalla increbescences *angustia* & interni *ardores* affligunt, ita *tali* tempore usurpata Pediluvia hisce *accessoriis* molestiis infringendis quadrant: ventilant itaque Pediluvia *pectus oppressum*, *æqualem* sanguinis distributionem promovent, *incongrua* molimina *hæmoptica* intercipiunt, *alvi* apertionem adjuvant, *urinae* excretionem faciilitant, *caput* à *congestionibus* liberant, *somnum* *seculo* modo provocant & ita *variis* respectibus ac congruis *effectibus* in *phthisi* conferunt: præstat vero in hoc affectu circa Pediluviorum usum *moderamen* adhibere, ne cum *sinistra* illorum applicatione *perniciosa* sanguinis *orgasmi* provocentur.

§. XI.

Præter hætenus commemoratos affectus adhuc Pediluviorum usus ad diversos alios se extendit & ut in *ordine* maneamus, *varii* affectus qui in *abdomine* tragcediam suam agunt, cum Pediluviis mitigantur, sunt vero tales morbi ex parte *spastici*, ex parte etiam *congestorii* & nonnulli alii, qui ab hisce dependent: conducunt itaque Pediluvia in *varia* *Cardialgiae* specie, quando videlicet hæc

à *spastica* contractione *diaphragmatis* oritur & causam gravissimæ *dyspnææ* constituit, aut ut plurimum cum *asthmæ spastico* coincidit, in quo casu *vehementes* spasmos lenit. Pediluviorum usus, dum sanguinis *affluxum* a præcordiis in *inferiores* corporis regiones convocat, *alvi* & *urinæ* excretionem invitat & *eminus* ad fibrarum in corpore fortius *strictarum relaxationem* disponit & hoc quidem per modum *consensus*; dum enim in *inferiori* corporis regione partes *relaxantur*, ita in *aliis* locis, in quibus illo tempore *insolitæ constrictiones* adfunt, *aliquales* relaxationes obtinunt, qui consensus iterum non in *materia*, sed in *motu* potius, in *tali* casu inquirendus est: quando *Cardialgia* oritur à *congestionem* sanguinis ad *ventriculum*, quæ *Mensum* aut *Hæmorrhoidum* turbas excipit, adeo ut *exitus* sanguinis per *inferiora* loca *impeditus*, nunc è *ventriculo* molliatur, tunc Pediluvia *variis* modis *eximiam* suam *utilitatem* testantur, dum *affluxum* sanguinis *avocant*, in *inferiores* & *ordinarias* vias convocant, *inferiorum* regionum *occlusionem* emendant, *superiorum* regionum *oppletionem* ventilant, reliquas *ordinarias* excretiones promovent, sanguinis *fluiditatem* adjuvant & viciniam *Venæ Portæ* à molestis *spasticis* cruciatibus quantisper liberant: si *cardialgia* à diuturna *alvi obstructione* & retentis *flatibus* oritur, tunc Pediluvia perinde *aliqualem* utilitatem afferunt, uti in *asthmate flatulento* eundem salubrem effectum exserunt, dum *alvum* *aperiunt* & *flatuum* evacuationem faciunt: in *morbis Splenis* quid emolumenti promittant Pediluvia, testatur *usus* & *experientia*: præcipue quidem in *infarctu* & initiante *induratione* Lienis salubrem suam efficaciam comprobant; dum enim *spasticas mesenterii* commotiones leniunt, ita *splenicam venam* quadantenus præparant, quo per illam sanguis *liberius* ad *Venæ Portæ* truncum profluere, adeoque splenem *ventilare* queat, proinde eadem Pediluvia in eodem casu *spasticas intestino-*
rum

rum strictureas mitigant, quo sanguis magis *æqualiter* tam per *mesentericas* venas, quam per *internam hæmorrhoidalem* venam ad Venam Portæ progredi possit, affluxus sanguinis à *splene* non impediatur, sed potius *sublevetur* & hæc pars ab omni suspecto *infarctu* liberetur; In genere quidem Pediluvia *universo Venæ Portæ* systemati & *partibus* cum illa *connexis* proficua sunt, dum *progressum* sanguinis per loca hæc promovent, eademque à suspectis *spasms* liberare adjuvant, quare in affectu *Hypochondriaco* & *Hystero*, iusta methodo adhibita, conveniunt, dum partes in hypochondriorum regione hærentes, videlicet *Hepar, Ventriculum & Splenem* admodum levant, sanguinis *progressum* per Venam Portæ adjuvant, suspectas *stricturas* quadantenus *relaxant*, *alvinam* excretionem liberant, molestam *flatulentiam* emendant & ad *reliquas* salutare excretionem, è quarum *turbis* hoc malum interdum oritur, motus invitant: præterea Pediluvia conducunt in *variis Hepatis* affectibus, imprimis in *congestionibus* tam *simplicibus*, quam *inflammatoriis*, in *spasms* qui in Hepatis *confiniis* contingunt & simul Hepar affligunt, in *infarctu* sanguineo, in *difficili* progressu sanguinis per Hepar, in *Ictero*, in inchoante Hepatis *induratione*, in quibus afflictionibus tot ac variis talibus modis Pediluvia profunt, quales hætenus sæpius indicati fuere: Et quemadmodum Pediluvia *primis regionibus* utilia esse annotantur, ita *singulares* tales casus practici facile intelligi possunt; qui utilitatem horum Pediluviorum in aliis morbis, quorum *sedes* in *primis viis* hæret, comprobant, quo spectat illa historia, quæ commemoratur in *A. N. C. Dec. II. An. 6. obs. 144. de Quartana Pediluvio Sanata*; cujus observationis *parallela* animadversiones & historiae recensentur in *Sophronii Kozakii tr. de Sale Sect. 12. c. 10. & B. Wedelii Pharmac. Acroamat. lib. 3. Sect. 2. c. 7.* modus operandi horum Pediluviorum in cura *quartanæ* ex prædictis effectibus colligi

& applicari potest: Imprimis vero Pediluvia eximiam utilitatem habent in *Mensium & Hæmorrhoidum defectivis* vitiis, aut *inordinatis* successibus, quando videlicet in hisce locis suspectæ *stricturæ* adfunt, aut simul contumaces *alvi obstructiones* concurrunt, quibus *occlusionibus relaxandis* & necessariis humorum *affluxibus invitandis* & provocandis illa Pediluvia admodum quadrant; quando subinde *motus* ad *uterinas & hæmorrhoidales* purgationes spectantes, à *congruis* locis *deflectunt* & vel per *abdomen vagantur*, vel in *superiores* regiones excurrunt, adeoque modo è *ventriculo*, modo è *pectore*, modo etiam è *capite vicarium* exitum moliuntur, tunc ad *emendandas* has *insolitas* vias *Mensium* ac *Hæmorrhoidum*, proinde etiam ad *motus in ordinem* idoneum & *loca congrua* revocandos & reducidos eadem Pediluvia eximie profunt, quæ in ejusmodi casibus & interdum satis intricatis afflictionibus remedium, licet *simplex*, tamen *prestantissimum* constituunt; quare in *Colica hæmorrhoidali*, in alteratione *diureseos* ex *anomalis Mensium & Hæmorrhoidum* proveniente, in *Fluore albo* ex *Mensium vitiis* orto, in variis *offensis* loca *genitalia* ob *Hæmorrhoidum anomicum* statum corripientibus *prudens* Pediluviorum usus proficiuus esse observatur; cuius *Practicæ* animadversionis varia testimonia in *Casibus* *Practicis* allegari possent, ni hoc loco brevitati studere & modo *rem* ipsam annotare placuerit & suffecerit.

§. XII

Superfunt adhuc nonnulli alii affectus, quibus Pediluvia salutarem opem afferunt, è quibus mox hoc ordine *Calculus* tam *Renum*, quam *Vesicæ* nominamus, in quo *arduo* affectu non modo conjunctos vehementes *dolores leniunt* & demulcent, sed & ipsam calculi *excretionem* promoveant & facilitant, dum partim *spasticas* illas internas stri-

stricturas mitigant, & *vias relaxant*, incommodum *affluxum* humorum & *infarctum* partium avertunt, partim reliquam *ordinariam* excretionem *catotericam* invitant & dum *alvi* æque ac *urinae* excretionem promovent, ita *una calculorum* proximam exonerationem alliciunt, quæ tanto facilius nunc succedere potest, quo magis *anomali* & præjudiciosi motus *spastici mitigati* & *viæ* quadantenus *relaxatae* sunt: hic non modo *preservatorie* in subjectis *calculosis* conferunt, dum prædictas evacuationes in *legitimo* successu conservant & subinde successivas *renum* & *vesicae* *urinariae abstersiones* provocant, *incongruas* & præjudiciosas etiam *congestiones* ab hisce locis avocant, nec non motus *spasticos* præoccupant & subinde translationem & *distributionem* sanguinis in *peripheriam* corporis promovent, ac aliis variis *generalibus* usibus & salutaribus effectibus adducendis quadrant, sed etiam per prædictos effectus *curatoriam* suam utilitatem afferunt; porro Pediluvia illa conferunt in subjectis, quæ *congestorio-spastico-inflammatorio-nephriticis* affectibus corripuntur, quales in hoc statu comprehensi adhuc ab *actuali* calculo *liberi* sunt; in quibus affectibus perinde *curatorio* æque ac *preservatorio* scopo utilitatem *quandam* afferunt, dum *congestiones* sanguinis avocant, sanguinem *ad æqualem distributionem* disponunt, *spasmodicas* commotiones *relaxant*, *alvum* aperiunt, adeoque *particulares* illas restrictiones, quæ *ad renes* vergunt, alterant & emendare adjuvant, ut propterea *ordinaria diuresis* restituatur & promoveatur & calculi *genesis* legitime præoccupetur: quemadmodum hæc Pediluvia non modo in *calculosis* pathematibus, sed & in singulis reliquis afflictionibus, quæ *cum calculo coherent* *secure* efficaciter & certo *aliqualem* utilitatem conciliant: imo quemadmodum *calculosi* affectus cum *motibus hæmorrhoidalibus* exactam *affinitatem* habent, Pediluvia vero *motibus hæmorrhoidalibus* ordinandis & promovendis quantisper

conducunt, ita ex *hoc ordine* atque *nexu* illorum usus in *ta-*
libus Pathematibus proficius existit: propterea etiam ea-
 dem Pediluvia in *Ischiadicis* cruciatibus magis *præservato-*
riè, quam *curatoriè* conducunt, modo *ordine congruo* ad-
 hibeantur, ne videlicet aliis *præparantibus* adminiculis
 absolutè præmittantur: & ita etiam in affectibus *arthriticis*
 aliqualem opem promittunt; quando vero arthritidis est
vaga tunc facilius Pediluvia magis *obesse* quam *prodesse* so-
 lent: ita præterea eadem Pediluvia sub *congrua* ordina-
 tione proficiunt, quando ob *anomalias hæmorrhoidales* &
corruptos affectus *nephriticos* & *ischiadicos*, aliqualis *contra-*
ctura regiones corporis *inferiores* corripere videtur, in quo
 casu una cum *aliis idoneis* adminiculis usurpata Pediluvia
prodesse deprehenduntur: Quando porro nonnulla subje-
 cta frequens & ominosa *alvi obstructio* ut & *urinae occlusio*
 corripit, subinde etiam *angit* & ad varias *alias* afflictiones
 disponit, tunc *repetitus* Pediluviorum usus huic incommo-
 do etiam *moderari* solet, dum suspectas *stricturas* in utris-
 que *excretoriis* locis tollit & necessarium *affluxum* in has
 partes & connexam humectationem allicit & convocat:
 In *Gravidis* circumspèctus Pediluviorum usus omnino sa-
 lubritatem suam testatur dum frequentibus illis *cardialgicis*,
emeticis, *syncopticis* afflictionibus resistit, familiarem *alvi*
occlusionem liberat & ad *æqualem* sanguinis distributionem
 ansam præbet: Sit vero horum Pediluviorum usus in
Gravidis *cautus*, alias in feminis facile *abortientibus* indi-
 scretus ille usus magis noxam, quam utilitatem parit: Et ita
 etiam idem *providus* Pediluviorum usus, proxime *ante*
partum adhibitus, non modo consequentem partum *fa-*
cilitat, sed & *Lochiorum* fluxum, quando *ægrius* succedit,
promovet; hinc in *Lochiorum* *imminutione* & *suppressione*
 præter *congrua interna* adminicula, hæc Pediluvia *secu-*
rum & *salubre* adminiculum largiuntur, habere etiam ea-
 dem Pediluvia efficaciam, *motus*, qui ad *legitimum partum*
 per-

pertinent, *languentes & deficientes* revocantem, ut & *difficilem secundinarum* excretionem promovendam, atque diutius insistentes *dolores post partum* affligentes *mitigantem*, *spurios vero dolores ante partum* emendantem: non minus ad *irregularium uteri concretionum* five *molarum* exonerationem peritus Pediluviorum usus convenit, quando præcipue illo tempore, quo *Menstruæ* purgationes *recurrere* debent, hæc Pediluvia cum subordinatis *laxantibus* adhibentur; eade ratione conferunt Pediluvia ad *foetus mortui* exclusionem, dum *motus in uterinas regiones* convocant: proinde in *viarum urinarum & genitalium* adstrictionibus, *infarctibus* aut *varicosis* harum ultimarum partium *oppletionibus & inturgescutionibus* profunt, dum partes *strictas leniunt & affluxum* atque *progressum* per illas partes promovent: quare in *diversa ischuria & dysuria* hæc Pediluvia conferunt: in quibus singulis abdominis affectibus hætenus recensitis ad minimum *tantam* utilitatem habent, quo qualiscunque *contumax* illorum *indoles infringatur & leniatur* ut per *reliqua adminicula* paulo *facilius* emendari possint.

§. XIII.

Plurimorum hætenus affectuum mentio facta fuit, quibus Pediluvia aliqualem utilitatem afferre observantur, quare pauca adhuc addenda erunt, quæ præsentem tractationem illustrant: in affectibus *pedum* an Pediluvia utilia esse queant nunc in ordine inquirere conveniet: quando itaque in pedibus *ariditas & contractura* adest, tunc Pediluvia tam *simplicia* quam cum speciebus *nervinis* combinata conducunt, quæ pedes *relaxando & ingressum* humorum invitando & provocando conveniunt: quando porro in pedibus *refractarii & duri tumores* occurrunt, tunc ad *faciliorem illorum resolutionem* *modestus* Pedilu-

viorum usus conducit, dum ex eodem partes affectæ *leniuntur*, emolliuntur & *affluxus* ad illorum tumorum *resolutionem* necessarius allicitur: interim in *œdematosis* tumoribus Pediluvia minus proficua sunt, dum partes nunc nimium relaxatus magis enervant, relaxant & humorum *coacervationem*, secessionem & *stagnationem* in pedibus augent; quare *nimis frequens* Pediluviorum usus adejusmodi *suspectos* pedum tumores *generandos* contribuit, maxime vero in subjectis *carnosis*, in quibus alias *prodiga* illorum applicatio *evitanda* est: ita porro Pediluvia in *varicosis* nonnullis Pedum intumescentiis conveniunt, quando concurrentes *congestionem* & particulares sanguinis *restrictiones* mitigant, efficaciorum sanguinis *progressum* provocant *equalem* sanguinis distributionem promovent, pedes *relaxant* subinde *venas* amplificant adeoque ad *faciliorem* varicosarum stagnationum *resolutionem* contribuunt: præter has utilitates vulgo Pediluvia cum *Platero* commendantur ad *delassatorias* enervationes mitigandas, Die Müdigkeit aus den Füßen zu ziehen: unde post *peregrinationes* & conjunctas *lassitudines* persæpe adhibentur: ast quamvis *directe* pedibus in hoc casu roborandis non quadrent, tamen *eo respectu* lassitudini subveniunt, quoniam ad *placidum somnum* disponunt & *molestas* particulares fibrillarum *tensiones* sub lassitudine occurrentes, ut & *gravativas* illas sensationes mitigant atque leniunt & hac *diversa* ratione defatigationi succurrunt: alias quidem Pediluvia *simplici* sua *relaxante* qualitate magis pedibus *torporem* conciliant & *frequenti* sua applicatione *infirmi-
tatem* quandam in pedibus causari adjuvant: quantum Pediluvia conferant, ab *Clavos pedum* præparandos, jam vulgo notum est, dum talem *verrucoso nervosam* concre-
tionem emolliunt, *nimum sensum* in iisdem *hebetant*, fun-
damentum ac *radicem* horum concrementorum *relaxant*
& propterea *faciliorem* illorum *separationem* & extirpationem
promovent: perinde eadem Pediluvia ad *diversas ungui-*

um afflictiones in pedibus occurrentes conducunt: minime vero Pediluvia *aluminosa* & *valde sulphurata* ad *Podagricos* & *œdematosos* affectus concedimus, quoniam illis cum eximio *vitæ præjudicio retropellendis* & subito alterandis fatiscunt: quæcunque etiam subiecta alias *insolitas* pedum *delassationes* experiuntur & ex *Mensium* & *Hæmorrhoidum* turbis in *œdematosos* aut *ulcerosos* Pedum affectus incidunt, illis Pediluvia non secure ordinari possunt: in *chiragricis* vero cruciatibus Pediluvia *legitime* adhibita: *aliqualem* utilitatem afferunt: & quanquam lotiones pedum [cum aquis *subterraneis* sive *thermis* nonnunquam pedibus *roborandis* & à doloribus *spasticis* nec non à *diversis* tumoribus liberandis quadrent, tamen *communis* Pediluviorum usus *tales* utilitates *non facile* promittit: interim ad pedes *roborandos* pediluvia cum *vino* parata *non penitus* contemnimus, qualia pediluvia in *luxationibus* & *fracturis* pedum *congruo* tempore omnino commendamus: neque etiam in *ulceribus* pedum talia Pediluvia *communia* conferunt, quamvis *varia* exempla comprobent, quod cum *thermis nonnulli* talia *cacoethea* ulcera exsiccata fuerint: neque subinde approbamus lotiones pedum cum *lacte* in *Podagricis* & *Gonagricis* cruciatibus, quales curationes per *contraria* non modo *stupores* & *tumores* suspectos in ejusmodi partibus excitant, sed & plane *paralyticas* metamorphoses interdum causantur: quando vero talia Pediluvia *rarius* & *præservatorio* quidem scopo in subiectis *Podagricis* usurpantur, tunc *aliqualem* utilitatem afferre possunt: neque hoc loco illam *specialissimam* pedum molestiam oblivioni tradere lubet, quando nonnulli homines, præcipue *plethorici* per *intervalla* non quidem dolores *sensibiles* in pedibus experiuntur, sed quando paulo diutius *sedentariæ* vitæ indulgent, *molestiam* quandam subtiliter *tensoriam* in pedibus sentiunt quæ *obscura* tractio ejusmodi homines necessitat, ut cum repetita pedum *mutatione*, *translocatione* & *motione* *aliquale* levamen cape-

peffere debeant, in quo ftatu æque Pediluviorum ufus proficius effe obfervatur: quando denique in pedum *articulationibus* ex *inverfa* commotione, *inflexione* & diftentione *tendinosarum* partium *contumaces* quidam dolores oriuntur, tunc horum *mitigationi* promovendæ Pediluvia hætenus commendata conveniunt, quibus in hoc cafu commode fpecies quædam *nervinæ* fociari poffunt, qualia *lenientia* & fimul *nervina* adminicula partibus *tendinofis* admodum *proficua* exiftunt.

§. XIV.

Quanquam ex prædictis fatis elucefcant, quam *multiplex* fit Pediluviorum utilitas, quæ non modo in *ratione* fed & in *experientia* fundata eft, tamen adhuc in coronide hujus tractationis addere lubet, quod huc ufque commendata Pediluvia notatu omnino dignam utilitatem *Purpuratis* fubjectis afferant, quando ab illis *præfervatorio* fcopo adhibentur: etenim in *Purpuratis* *jufto ordine* adhibita, *alvum* apertam fervant, *transpirationem* infenfibilem non modo promovent, fed & *placide* & cum fecuritate *augent*, proinde naturam conftanter *invitant*, quo humorum fuorum *inquinamenta* in *peripheriam* corporis transferat & ab iisdem *nobiliores* partes liberet: porro *pectus* quod in *purpuratis* frequentius afflictum eft, eadem Pediluvia variis modis ventilant, præcipue vero à fufpecta humorum *congeftione* & *fecceffione* liberant & quod de reliquo palmarium opus eft, ad *fuçceffivam* inquinamenti & *feminii* purpurati exclusionem difponunt quo minus illud non modo *majori* quantitate *colligatur*, fed quo minus etiam *finul* & *finel* fub periculofò morbi *fchemate* eliminetur, qualis *pofterior* operatio communiter *periculofum* illum purpuratum affectum conftituit: Neque *penitus* in *Convulſivis* morbis Pediluviorum ufus improbandus eft, tanto minus vero in *illis*, qui *fpiſſitudi-*

nem sanguinis; variam stagnationem sanguinis in corpore, suppressas salutare hæmorrhagias, contumaces restrictiones sanguinis è peripheria in internas nobiliores corporis partes pro causa habent: quemadmodum præter illos modos quibus Pediluvia hisce causis respondent, etiam leniente & spasticos atque convulsivos motus relaxante effectu operantur proinde etiam caput tanquam locum originis, è quo primario tales motus emergunt atque emanant, ventilant & ab incommoda oppletionè, congestionè & secessionè præoccupare & liberare adjuvant: in subjectis vicissim, quæ frequentibus, subitaneis & suspectis orgasmicis sanguinis commotionibus exposita sunt, hæc Pediluvia caute abhibere decet, ne tales ebullitiones provocent & exacerbent: porro Pediluvia conferunt subjectis, quibus animi deliquia familiaria existunt, in quibus oppressum motum sanguinis excitant & varias connexas morbosas causas subjugant & emendant: quando nonnunquam superiores corporis regiones dolorifici tumores affligunt, tunc talibus doloribus leniendis affluxibus humorum avertendis & ipsis illis tumoribus præparandis, quo tanto facilius resolvi queant, Pediluvia conveniunt: Quanquam vero in tam eximio affectuum numero Pediluviorum utilitas deprædicata fuit, tamen minime asserimus, quod cum solo Pediluviorum usu tales morbi curari possint, hinc aliorum congruorum auxiliorum usus conciliari debet, interea in prædictis affectibus illorum Pediluviorum usus utilis observatur: proinde notandum est, quod Pediluviorum usus justam methodum requirat, ne videlicet vel præmature vel præpostere ordinetur, quare alia obstacula antea removenda erunt, proinde Pediluvia talia subordinare conveniet, quæ motibus corrigendis & materiis præparandis quadrant, ita tanto facilius reliquæ necessariae excretiones succedent: proinde usus Pediluviorum per intervalla repetitus certius salutares effectus impetrabit, quam si nimis frequenter urgetur & sine regimine continuatur: & ita sub prudenti tali applicatione
Pedilu-

Pediluvia tam *præservatoriis*, quam *curatoriis* usibus reservari poterunt: in *Plethoricis* subjectis multum confert, si congruo ordine & tempore, quando aliæ circumstantiæ permittunt, *artificiales* sanguinis *subtractiones* conciliantur: multum etiam proficit, si moderatæ *laxationes* interdum combinantur, quæ in multis casibus usum Pediluviorum tanto *præstantiorem* & efficaciorum reddunt: attamen in *valde siccis* hominibus hæc Pediluvia *adeo utilia* haud deprehenduntur, ac in aliis: neque quidem in ætatibus *infantilibus*, *puerilibus* & *senilibus* Pediluviorum utilitatem deprædicamus, quæ potius se in alias ætates extendit; loquimur verò de nimis effecta senectute: de reliquo Pediluvia *feminis* tanquam *sensibilibus* & talibus conjunctis alterationibus magis obtemperantibus subjectis paulo magis, quam *masculino* sexu proficua esse observantur. Sed abrumpendum tandem nobis est, posteaquam hætenus *usum Pediluviorum medicum* sufficienter ex ratione & experientia proposuimus & commendavimus: Deo nunc devotissimas reddimus gratias, quod labori nostro benedictione sua adesse voluerit, quem subinde humillime rogamus, quo ipse utilitatem Pediluviorum in usu Medico efficacissime promoveat, proinde singulos nostros reliquos labores atque conatus salutaris successu & eventu beet & coronet.

